

De tarda concotione dissertatio : quam, ex auctoritate Gulielmi Laurentii Brown, S.T.P. Academiae Marischallanae Aberdonensis Praefecti, et ordinis medici decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus consequendis / placidae eruditorum disquisitioni subjjcit Olivarius Thorndike, Nobanglus.

Contributors

Thorndike, Oliver.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Balfour et Clarke, 1820.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aw2as4kh>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Sheaf

Glasgow
University Library




David Murray Collection
1928


M.33-c.18



$\frac{1}{4}$

David Murray M.A.
Glasgow.





PARDA CONCOCTIONE

CHRYSTIAN

DEI REGNI

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES

DEI REGNI

JOHANNES DEUS

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES

JOHANNES LAURENTIUS DEUS ET P.

JOHANNES

JOHANNES

TABULA CONJECTURAE

CHILIA MUNDI

DE CHILIA

DE CHILIA

DE
TARDA CONCOCTIONE
DISSERTATIO,
QUAM EX AUCTORITATE
GULIELMI LAURENTII BROWN, S. T. P.
ACADEMIÆ MARISCHALLANÆ ABERDONENSIS
PRÆFECTI,

ET ORDINIS MEDICI DECRETO,

Pro Gradu Doctoris

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS CONSEQUENDIS,
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICIT

OLIVARIUS THORNDIKE,

Robanglus.

Ὁ βίος βραχυς, ἡ δὲ τέχνη μακρά.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT BALFOUR ET CLARKE.

1820.

TARDA CONCOCTIONE

INSTRUMENTA

DE ARTE ANATOMICA

GUILIELMI LAURENTII BROWN, S.T.P.

PROFESSORIS ANATOMIAE IN ACADEMIA MEDICA

LYONENSIS

ET ORDINIS MEDICI DOCTORIS

DE RE ANATOMICA

INSTRUMENTA ANATOMICA ET ANATOMIAE

INSTRUMENTA ANATOMICA

ANATOMICA

OLIVARIUS FLORENCE

LYONENSIS


INSTRUMENTA ANATOMICA

INSTRUMENTA ANATOMICA

INSTRUMENTA ANATOMICA

INSTRUMENTA

INSTRUMENTA ANATOMICA



GULIELMO LAURENTIO BROWN, S.T.P.

ACADEMIÆ MARISCHALLANÆ ABERDONENSIS

PREFECTO,

OPTIMO VIRO ET ERUDITISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM

SUMMA REVERENTIA

DICAT

OLIVARIUS THORNDIKE.

GUILLMO LAURENTO BROWN, A.T.P.

ACADEMIC MATERIALS AND APPENDICES

PART I

THE NEW YORK LIBRARY

THE DISTRICT OF COLUMBIA

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY - DISTRICT

DAVIDI IRVING, LL.D.

OPTIMO VIRO,

ET AUCTORI DOCTISSIMO ET INGENIOSISSIMO,

PROPTER BENEFICIA INNUMERA

IN SE COLLATA,

NEC UNQUAM OBLIVISCENDA,

HOC OPUSCULUM

ANIMO GRATISSIMO

DICAT CONSECRATQUE

OLIVARIUS THORNDIKE.

CIVI SUO

JOSEPHO G. COGSWELL,

GEORGIE AUGUSTÆ ACADEMIÆ

PHILOSOPHIÆ DOCTORI,

VIRO EXIMIO ET ERUDITO,

HAS PAGINAS

SUMMA OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

1871 FEB

JOSEPH G. COGSWELL

GEORGIA AUSTIN & ALLEN

THE GEORGIA AUSTIN & ALLEN

ALSO EXHIBIT BY REV. J. G.

THE AUSTIN & ALLEN

THE AUSTIN & ALLEN

THE AUSTIN & ALLEN

AUSTIN & ALLEN

DE

TARDA CONCOCTIONE.

CIBUS per gulam in ventriculum dimissus varias patitur mutationes, quas concoctionem dicimus ; haec autem concoctio quotidianae corporis jacturae occurrit. Inter viscera quae in hac ciborum mutatione versantur, locum merito primum ventriculus sibi vindicat, quippe qui humorem concoctioni maxime idoneum suppeditat. Tam arctus sane est nexus hanc inter et alias corporis humani partes, ut omnes hujus affectiones, sive salutes sive noxiae sint, ventriculum statim afficiant ; eoque male se habente, non solum actiones naturales corporis, verum etiam animi

munera, aliqua ex parte impediuntur et retardantur. Hinc Q. Serenus Samonicus :

Qui stomachum regem totius corporis esse
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra :
At contra ejusdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam, nisi cura juvat, vitare cerebrum
Fertur, et integros illinc avertere sensus.

Ii igitur morbi a quibus maxime laborat ventriculus, intentionem animi et prudentiam haud mediocrem exigunt ; et in plerisque sane summa medicorum adhibenda est diligentia. Ex iis autem morbis nullus fortasse plura incommoda secum fert, quam tarda ciborum concoctio ; quæ vocabulo Græco, a Vogelio, Culleno, aliisque scriptoribus, dicta est *δυσπεψία*. Recte quidem Jacobus Gregorius : “ A prava concoctione ciborum innumera oriuntur mala, neque levia, neque sanatu facilia, quamvis raro periculosa observentur ; oppressio, anxietas, dolor ventriculi, ructus ab aere inter fermentandum extricato, et ventri-

culum irritante, et per gulam erumpente ; nausea et vomitus a ventriculo irritato et distento ; alvus aliquando tarda, aliquando nimis liquida ; defectus nutrimenti, generalis infirmitas, partes solidae laxae, fluidae nimis tenues, omnes functiones impeditae, dolor capitis, vertigo, *syncope*, *asthma*, palpitatio, spiritus valde demissi, praesertim si aeger peculiaris constitutionis fuerit, interdum podagra, nonnunquam demum hydrops, vel febris lenta, qualis tandem lethalis esse potest."

Hic morbus, nunc adeo frequens, rarius apud priscam gentem mortalium ingravescebat ; verique simile est, uti dixit Celsus, inter nulla auxilia adversae valetudinis, plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores, quos neque desidia neque luxuria vitiaverat. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia lubido invasit, valetudo simul cum moribus immutatur.

Certa *dyspepsiae* signa persecutus est acerrimi ingenii vir Gulielmus Cullenus : " Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, pauciora saltem vel plura

horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius, vel aliarum partium morbo." Multa igitur sunt hujus morbi indicia; cumque nec semper idem sit ordo seriesque signorum, historia ejus non adeo dilucida est. Nulla ætas, nullum sexus, nulla constitutio corporis non obnoxia est huic morbo; juniores tamen sanguinei coloris homines, et mollioris generis mulieres, potissimum vexat. Tardius plerumque progreditur, et perraro celerius desinit. Si qua fides habenda est quibusdam scriptoribus, hoc vitium concoctionis tamen omnem pulmonibus arcet; a contagionis quoque vi nos defendit; inflammationem vel summovet vel remittit. Hi quidem deliramenta loquuntur. "Sunt quædam regiones," inquit vir doctus Heberdenus, "ubi psora est morbus frequentissimus; atque ibi quoque salutaris esse existimatur. Febris etiam intermittens olim a quamplurimis medicis credebatur esse ministra salutis; et idem etiamnum nonnullis persuasum est. Itaque ejus adventum sibi et amicis gratulantur,

et, quantum in ipsis est, cavent ne nimis cito se proripiat. Has quidem opiniones in Anglia jam fere delevit dies; et ubi remedium podagrae haud minus præsens inventum sit, quam quæ ad modo memoratos morbos adhibentur, cognoscemus tandem quam tuto et utiliter morbus quoque articularis in perpetuum summoverti possit."

Longum est omnes hujus morbi notas recensere, quippe qui mirum in modum suam speciem ac formam mutat: tantum igitur mihi dicenda sunt signa quæ minime variant. Appetitus cibi deficit, nausea pressus est æger, præcordia tument. Paulo post sumptos cibos, creber sequitur ructus ab aere inter coquendum emisso; nec prætereundam illam boum more ruminationem puto. Cibus male concoctus cito fermentescit; atque hinc oritur illa insolita acoris vel vis vel copia, quæ καρδιαλγίαν gravissimam excitat. Distentionem quoque nervorum hoc vitium infert: nimius intestinorum motus fieri solet; et vomitus nonnunquam alvi dejectioni supervenit. In hoc autem affectu corporis, vel

propter tardio rem intestinorum motum, vel propter defectum humoris ventriculi, alvus multo sæpius est dura et astricta. Æger sine somno noctem sæpe ducit, aut diræ imagines obrepunt in animum dormientis. Mane autem fauces ejus et lingua aridae sunt. Multum a dolore capitis laborat, cum vertigine, temporum palpitatione, auriumque tinnitu. Si vetustior jam morbus est, mutatur ægrotanti color, hebescunt oculi, ora et labra pallescunt, arida et contracta est cutis, frigus membra occupat. Deficit a tarda ciborum concoctione solitum nutrimentum, totumque corpus macrescit. Nec tamen interea mens immota manet; acies enim ejus hebescit, neque facile memoria, thesaurus ille rerum inventarum, repetit illa quæ fuerunt. Languor perpetuus omnia habet. Tandem aliquando febris lenta, aut dirus hydrops sequitur.

Quæ jam diximus signa, tam dilucide docent ventriculum male se habere, ut in promptu sit omnibus; ac plerumque, non semper, medici hunc aliis morbis nullo negotio dignoscunt.

Sunt autem ejusmodi morbi qui maximam inter se similitudinem habent; qua de re pauca nunc dicenda sunt.

Tardam concoctionem ab *affectu hypochondriaco* non semper medici distinguunt; alter enim morbus alterius speciem nonnunquam præ se fert. Ne hoc quidem vehementer dolendum est, cum neque eorum curatio adeo sit diversa, eademque remedia utrique malo sæpe succurrerint. De affectu autem hypochondriaco sic disserit acris subactique judicii vir Gulielmus Heberdenus. “ Etenim mala hypochondriaca et hysterica in his incognitis rebus tota sita esse videntur; dum corpus, quatenus sensibus nostris patet, integerrimum est in nonnullis quos hic affectus diu ac pessime habuerit. Nihilominus, vix est ulla pars corporis, quæ non interdum ex animi affectibus læsa fuisse videatur; nulla autem sæpius aut gravius urgetur, quam intestina, quæ in ægris raro vacant doloribus, gravitatis sensu molesto, cruditate, acore, nausea, et inflatione, quæ fere strangulet, inferat-

que vertiginem, atque sensus omnes confundat: ac cibi cupiditas naturalis manet, vel etiam naturali major. Urina diluta esse consuevit, et copiosissima; hoc tamen non est perpetuum. Haud temere reperies quemlibet cordis ipsius affectum, qui palpitationes vehementiores excitet, quam hic de quo sermo est, licet cor interea sit sanum et illæsum. In iis etiam, quorum pulmones sunt integerrimi, spiritus fit non minus difficilis et angustus, quam in justo asthmate. Tum solent deludi falsis imaginibus veluti globorum in faucibus hærentium, et inani strangulationis metu. Lacrymae quoque sine dolore profluunt. Naresque et aures odoribus sonisque fictis implentur. Oculi sine manifesta causa caligant. Vertigo, sensuum confusio, stupor, et animi inconstantia sunt, cum attentionis memoriæque defectione; quæ palam faciunt, facultatem aliquam deesse, quæ modereretur et dirigat corporis motus, mentemque esse sub potestate aliena. Noctu etiam nulla fere miseræ intermissio est; nam æger parum dormit, et so-

mniis tumultuosis agitur, et sæpe expergiscitur. Ad hæc accedunt jactatio, dolores vagi, ardores subiti, frigidi sudores, terror, tremor, leves membrorum distentiones, atque torpores, quibus interdum adeo opprimitur, ut vel animo linquatur, et concidat; vel ægre, et magno conatu, valeat tandem se colligere.”

Hæc utique mala vicina sunt: plerumque tamen tarda concoctione laborant juniores sanguineique coloris homines; hypochondriaco autem affectu proveciores ætate, et melancholici. Ubi ætas paulum processit, morbus ille haud raro se remittit; hic rursus vergentibus annis ingravescere solet; adeo ut in ea ætate aliquid in natura spei, vix quidquam in medicina sit. Tarda concoctio recipit timorem cum languore; at malo hypochondriaco propria est longa tristitia cum longo timore. Hic morbus sæpissime caret *anorexia*, quæ illum semper comitatur. Itemque in tarda concoctione præcordia tumorem molliorem habent, neque tam crebra est nervorum distentio. In hoc quoque vitio venter modo so-

lutus modo astrictus, at in illo fere semper astrictus est. Dicendum igitur cum Culleno, "hypochondriasin esse dyspepsiam cum languore, moestitia, et metu, ex causis non æquis, in temperamento melancholico."

Proximum est ut transeamus ad *scirrhum pylori*, qui parvo negotio a tarda concoctione dignosci quidem potest. Gravis enim et assiduus est ventriculi morbus; crebriores vomitiones, magisque suppressus est venter. Gravitatis quoque cujusdam in latere dextro sensus est: nonnunquam si digitum admovit medicus, ibi tumorem sentit.

Sunt quædam quoque indicia conjuncta et communia *chlorosi* cum tarda concoctione; at vero in illo morbo suppressa semper menstrua sunt. Hic sane est verissimus morbi index; posuit enim vir jure magni nominis Cullenus, nullam esse veram chlorosis speciem, præter illam quæ menstruorum retentionem comitatur. In chlorosi autem dorsum et lumbi sæpissime dolent: pedes, crura, et aliquando totum fere corpus tumet; quorum nihil in tarda conco-

ctione evenit, nisi jam certa futuræ mortis indicia adsint. Id vitium nunquam caret anorexia; at vero in chlorosi est maxima et dira quidem cibi cupiditas.

Hæc tarda ciborum concoctio nullum sæpissime periculum affert, nisi morbus vetus esse cœperit, aliusve supervenerit; difficilis tamen plerumque curatio est. Sunt autem, ut cum Celso loquar, quædam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quidquam in futurum præsagiri potest. Si juvenis æger viribusque adhuc infractis est, si nondum inveteraverit causa efficiens ægrotationem, periculi minus est. At si jam ætate aliquis processit, si vetustior jam morbus est, præsertim si desidia atque luxuria corpus affligerunt, mortis periculum subest.

De hujus morbi causa quam *proximam* vocant medici, nihil attinet dicere. Nempe ventriculi humor, qui in cibo coquendo plurimum valet, in ejus vel quantitate vel genere peccat. At non satis est hoc dixisse; neque enim de humoris natura, ejusque operis functione, satis nobis liquet. Oritur autem iste fere morbus,

uti mihi quidem videtur, a læsa ventriculi tunica musculosa. In ea enim affectione hæc semper debilitata est, et curandi ratio ex hac quidem conjectura nunquam non pendet.

At prima origo causæ non latet; et modo ventriculus ipse, modo totum corpus afficitur. Primus igitur ordo seriesque causarum sunt fervidi liquores, opium, *nicotiana*, et alia ejusdem fere generis. Nimius meri usus plurimum nocet. Intemperantes homines nimis crebro ventriculum irritant; qui quidem vehementi incitatione inflammatus, solitam operis sui functionem impedit et retardat. Corrumpitur quicquid humoris ad cibos coquendos idoneum est: inflammatio cum dolore jocineris et aliorum quoque viscerum accedit. Hæc utique ex ebrietate oriuntur, et quam minime distat inveteratus opii usus. Id verum esse experimenta satis testantur. Primum quidem naturales ventriculi actiones incitat, deinde sensum aliquem languoris et tædii relinquit. Si plus æquo quis assumere solitus est, tarde concoquit, marcet

cum corpore animus, jamque immatura senectus instat. Neque hic prætereunda est herba, de qua sic summi ingenii poeta Georgius Buchananus :

Doctus ab Hesperiiis rediens Nicotius oris
Nicotianam rettulit,
Nempe salutiferam cunctis languoribus herbam,
Prodesse cupidus patriæ.

Raphael item Thorius de Pæto, lib. i.

Planta beata, decus terrarum, munus Olympi,
Non tantum agricolis duro lassata labore
Membra levas, minuis victus absentis amorem,
Fundis et absque cibo sparsas in corpora vires;
Sed radium specimenque Dei sapientibus ipsis
Ingenium illustras, si quando aut multa tenebras
Colligit ingluvies cerebro, aut molimine longo
Intellectus hiat, rerum neque concipit umbras,
Conceptasve tenet, vel cæca oblivia regnant.
Ut semel irrepsit blando lux indita fumo,
Aufugiunt nubes atræ, curæque tenaces.

Is vero qui vel manducat, vel fumum ejus inhalat,
nimis sibi salivam movet, quæ sive devoraverit

sive expuerit, vehementer tandem nocet. Quo magis inter initia ab hac quidem herba abstinendum est, ne majori periculo locus sit. Nec semper sine periculo evasit, si cui diu nares titillavit pulvis ex contritis aridæ nicotianæ foliis; hic etenim nervos afficit, quibus intercedunt cum ventriculo mira quædam affinitas et societas.

De gratissima *theæ* potione lugubre sane carmen cecinit Tissotius in oratione de Valetudine Litteratorum, Lausannæ anno 1766 edita. “E potibus litteratis amatis detestanda est imprimis infusio famosi illius folioli, thee dicunt, quod in perniciem nostram quotannis, retro jam duo sæcula, ex Sina et Japonia, advehitur; hostile vere donum, quod stomachi et, nisi mature seponatur, viscerum, sanguinis, nervorum, totius corporis robur subvertit, ut et malignos, et omnes chronicos morbos, et nervorum præsertim increvisse videas prout thee usus increbruerit, facileque judicare possis, ex morbis cujusque regionis, num theephili num thee-μισοι sint

incolæ. Oh quam felix Europa si communi consensu sæve prohiberetur importatio infamis folii, nulla alia vi nisi corrodenti, ex acri gummi quo fœtum est, donati; quod enim principii adstringentis habet in infuso calido perire tristis docuit usus. Non eadem notabo creta, notandum tamen celeberrimum coffe qui et vi nocet aquæ ferventis et stimulando, non nisi enim cum detrimento suo stimulis assuescit natura; pollet tamen nutriente farina et subamaro roboranteque oleo aromatico, ut bene, in pharmacopolis, utile remedium, reponatur, male in culinis inter quotidiana alimenta militet."

Proximum est ut de iis dicam quæ totum corpus afficiunt. Ex otio autem et desidia plurimi morbi oriuntur; atque in numero imbecillorum, judice Celso, magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi litterarum sunt. "Beati illi," inquit Bakerus, "qui negotium cum otio ita sapienter miscere, ita literarum disciplinam agitare solent, ut ea, quæ animo præcipue omnium necessaria est, non sit inimica corpori; qui, dum

hunc alere student, atque ornare, simul, data opera, cavent, ne quid illud detrimenti accipiat; nec in secunda valetudine, adversæ præsidia consumantur!" Prima igitur corporis curatio exercitatio est, sine qua torpescit sanguis, omnesque actiones naturales impediuntur. Hic etiam dicenda sunt quæcunque animum exasperant aut deprimunt. Quænam corpori cum animo intercedat societas, quove modo se mutuo afficiant, ne philosophiæ quidem professores scientia comprehendunt, nec satis conjectura persequuntur. At satis constat, vinculum eorum esse arctissimum: corpus animum, animusque corpus afficit; et si doles animo, languescit statim corpus. Atque hinc sæpe oritur cruditas, quæ corpus maxime lædit. Omnes etiam purgationes, si nimis frequentes sint, periculum afferunt; sed magis vitanda est omnis intemperantia libidinis, "Veneris damnosa voluptas." Hæ demum causæ morbos plurimos excitant, quo in numero fere semper est tarda et difficilis concoctio.

Cognitis jam indiciis quæ nos vel spe conso-
lentur, vel metu terreant, ad hujus morbi cura-
tionem transeundum est, in qua tamen re nolo
multus videri. Rationem medendi summo ju-
dicio prosecutus est Cullenus; nec sine fructu
legi potest Edvardi Barrii professoris Dublini-
ensis liber, "A Treatise on the three different
Digestions and Discharges of the Human Body,
and the Diseases of the Principal Organs,"
Londini anno 1759 editus.

Primum igitur vitanda sunt quæcunque mor-
bum effecerint. At sublata prima origine causæ,
non protinus sublatus est morbus.

Deinde submovenda sunt quæ maxime mor-
bum exasperant, ut puta cruditates, insolitus
ventriculi acor, dura alvus. A vomitu plerum-
que incipere oportet, namque in primis crudi-
tates cavendæ sunt; et in hoc affectu sæpe
utilis est plenior vomitus, quippe qui desides
ventriculi actiones plurimum incitat. Deinde
occurrendum insolitæ acoris vel vi vel copię,
quæ stomachum infestat. Tum ducenda quo-

que est alvus, quæ sæpius nisi coacta non reddit.

Et hæc quidem de iis quæ morbum exasperant. Tertium denique huic malo remedium est, imbecillitati ventriculi succurrere. Sunt alia vero remedia quæ ipsum ventriculum, alia quæ totum corpus afficiunt. Ea rursus medicamenta quæ stomachum maxime afficiunt, sunt vel *stimulantia* vel *tonica*. Ex tonicis plurimum laudatur cortex Peruvianus, de quo sic Tissotius: “Magnæ sunt hic partes celebratissimi corticis Peruviani aut kinkinæ quo præstantius hoc in casu non datur remedium: degestiones restituit, vasa roborat, fluida compingit, secretiones et præsertim transpirationem juvat, nervorum robur erigit, falsosque compescit motus.” Videndus omnino est Radulphi Irvini, M. D. libellus, cui titulus, *Experiments on the Red and Quill Peruvian Bark*, Edinburgi anno 1785 editus. Neque tamen ignorari oportet, medicamenta amara alvumque astringentia, si usus

eorum nimius fuerit, summum periculum afferre.

In hoc quoque morbo aqua Bathonica sæpe utilissima est. “Aqua Bathonica potata,” inquit Heberdenus, “certissime medetur nausæ matutinæ et vomitui, fastidio, doloribus ventriculi, atque aliis ebriosorum malis, nisi hæc eo usque creverint, ut vel hepar factum fuerit scirrhosum, vel hydrops immineat; tunc enim adeo non proficit, ut res ægri faciat deteriores, mortemque properet. Adversus alia quoque ventriculi et viscerum mala sæpissime profuit, sic ut operæ pretium fuerit omnibus ad eam confugere, quotquot laborant cruditate, diarrhœa longa, singultu, inflatione, vomitu, et qualibuscunque distentionibus, vel doloribus, vel debilitate horum viscerum, modo pulsus sit naturalis. Etenim ubi nulla fuerint febris hecticæ signa, locus mihi datus est nunquam suspicandi Bathoniam his ægris nocuisse; quanquam eorum votis non semper responderit. Tamen haud facile est intellectu, quam ob causam exitus

prosper quibusdam defuerit.” De medicatorum autem fontium virtutibus, præclare Georgius Bakerus in oratione de Affectibus Animi et morbis inde oriundis: “Nec ullus sane dubitandi est locus, quin in eos omnes aquarum mineralium fontes, ad quos tanta frequentia ubique gentium confugit quicquid fere invalidorum est atque ægrotantium, a locorum amœnitate, et a jucundo vitæ victusque consortio, quadam saltem ex parte, derivetur virtus. Ibi enim animus discit quasi seipsum fugere; et ab ærumnis curisque suis, ad res extra positas, et ad varia voluptatum lenocinia convertitur.”

Ea demum remedia quæ totum corpus, ideoque ventriculum, afficiunt, ab exercitatione et frigore sunt petenda. Prima corporis curatio, uti jam diximus, exercitatio est: summa tamen adhibenda est cura, ne, si quid exercitatio levarit, fatigatio exasperet; neque enim ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est. Si quis imbecillior est, pro exercitatione gestatio sit; si ne hanc quidem sustinet, adhibenda fortasse est


frictio. Sunt autem plura gestationis genera, quæ pro cujusque viribus aut opibus adhibenda sunt: vehiculo sedisse, vel magis etiam equo, maxime prodest. Lenissima est navi gestatio in flumine, paulo acrior vehiculo; at, judice Culleno, equitatio est stomacho utilissima. In hoc autem affectu corporis, exercitationis plerumque finis esse debet sudor, qui citra fatigationem sit. Auxilium item a frigore petendum est; prodestque in hoc morbo, si quis frigidum et purum aerem trahere potest, et sæpe salutare est aquis frigidis uti.

Quæ antiqui medici præceperunt, non multum abhorrent ab hac nostra curandi ratione. Hæc, verbi causa, sunt Celsi præcepta. “ Si quis vero stomacho laborat, legere clare debet; post lectionem ambulare; tum pila, vel armis, aliove quo genere, quo superior pars movetur, exerceri; non aquam, sed vinum calidum bibere jejunos; cibum bis die assumere, sic tamen, ut facile concoquat; uti vino tenui et austero, et post cibum frigidis potionibus po-

tius. Stomachum autem infirmum indicant pal-
lor, macies, præcordiorum dolor, nausea, et no-
lentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quæ
in quo non sunt, is firmi stomachi est. Neque
credendum utique nostris est, qui cum in adver-
sa valetudine vinum aut frigidam aquam concu-
piverunt, deliciarum patrocinium in accusatio-
nem non merentis stomachi habent. At qui
tarde concoquunt, et quorum ideo præcordia
inflantur, quive propter ardorem aliquem noctu
sitire consuerunt, antequam conquiescant, duos
tresve cyathos per tenuem fistulam bibant.
Prodest etiam adversus tardam concoctionem
clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi vel
lavari, assidue vinum frigidum bibere, et post
cibum, magnam potionem, sed ut supra dixi,
per siphonem: deinde omnes potiones aqua
frigida includere. Cui vero cibus acescit, is
ante eum bibere aquam egelidam debet, et vo-
mere: at si cui ex hoc frequens dejectio inci-
dit, quoties alvus ei constiterit, frigida potione
potissimum utatur." Hactenus Cornelius Cel-

sus, cujus, libenter enim viri eruditissimi Joannis Rhodii verbis utor, “ laudabilem in re medica operam annis jam mille sexcentis, et quod superat, experientia, veritatis prima parens, feliciter probavit. Nec melioris animi quisquam ita ab omni humanitate remotus fuit, cui non venerandum tam illustre nomen.”

FINIS.



et cupit libenter eam in studio suo
 habere. Verum illi, "laudationem in re magis
 operis nonne iam mille accendit, et quod appo-
 rat, experientia, veritate prima parens, felicitas
 probat. Nec tantis animi quibus ita ab
 omni humanitate remota fuit, cui non recte
 dum tam illustre nomen."

TRISTIS

